



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Acta Synodalia Osnabrvgensis Ecclesiæ, Ab Anno Christi
MDCXXVIII.**

Brogberen, Johannes

Coloniæ Agrippinæ, 1657

Synodus Osnabrugensis, ejusdem Episcopi nona, celebrata XVIII Martii
MDCLIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14298

DIOECESANA SYNODVS
OSNABRUGENSIS
NONA,

Sub Reverendissimo & Illustrissimo Principe
ac Domino,

D. F R A N C I S C O
G V I L I E L M O,

E P I S C O P O O S N A B R U G E N S I ,
R A T I S B O N E N S I , M I N D E N S I ,
A C V E R D E N S I ,

S. Romani Imperii Principe, Comite de Wartenberg
& Schawmburg, Domino in Wald & Hachenburg,

C E L E B R A T A O S N A B R U G I ,

Anno Millesimo sexcentesimo quinquagesimo tertio,

Feriā tertią post Dominicam Oculi, quæ erat dies
decima octava mensis Martii;

P R A E S I D E N T I B V S

nomine altememoratae Illustrissimæ Suæ Celitudinis,

Admodum Reverendis, Prænobilibus, & Doctissimo,
Dominis

J O A N N E A L E E R A D T ,

E T

J O A N N E W I L H E L M O A W I N C K E L H A V S E N ,

Cathedralis Ecclesiæ Osnabrugensis Præposito & Decano,

N E C N O N

J O A N N E B I S C H O P I N C K ,

I. V. L. Curiæ Ecclesiasticæ Osnabrugensis Officiali, & Insignis
Collegiatæ Ecclesiæ ad S. Ioannem ibidem
Canonico.

O R-

ORDO ET CÆRIMONIAE
SYNODI,

celebratæ in absentia

Illusterrimæ & Reverendissimæ Suæ Celsitudinis,

xviii Martii M D C LIII.

CITATIO AD SYNODVM.



X speciali mandato Illusterrimi ac Reverendissimi Principis ac Domini, FRANCISCI GVILIELMI, Domini nostri clementissimi, monebunt omnes Decani tempestivè eos, qui ex suo districtu, five

Clerici sint five Regulares, ad Synodum Diocesanam de jure vel confuetudine venire debent, ut pridie Synodi, quæ erit xviii

Martii, tam mature compareant, ut Dominos Deputatos Illusterrimæ Suæ Celsitudinis, in loco, ad hoc in valvis Ecclesiæ Cathedralis designando, alloqui, &c., si quid occurrat, ad Ecclesiæ & animarum salutem, propone possint. Conferent autem omnes & singuli Decreta Visitationis ultimæ; de earum observantiâ, Officiali & Consistorio rationem reddituri. Ne tamen animarum cura aliquid detrimenti per absentiam Parochorum patiatur, curabunt Decani, ut necessarii Sacerdotes hinc inde dispersi relinquantur aut surrogantur, quod populus eos, pro necessitatibus spiritualibus, convenire possit.

Locus sigilli.

*Ex mandato Illusterrimi Principis ac Domini,
Domini mei clementissimi,*

IOANNES BISCHOPINCK,
Officialis.

P Ridie indiçæ Synodi, nomine Illusterrimæ Suæ Celsitudinis, Domini Deputati convernent ad aulam Domini Prepositi Cathedralis Ecclesiæ, horâ quartâ pomeridianâ, ut in eâdem ab omnibus & singulis, ad Synodum parentibus, conveniri, corundem gravamina, si quæ habeant, audire, & de iis, quæ postero die agenda sunt, debite monere possent. A quartâ ad quintam, campane Catholicorum per totam Civitatem, uti & ipso die Synodali, anticipatis per Ecclesiæ Horis Canonicas, denuo per horam integrâ, compulsiæ fuerint, donec universus Clerus, in Cathedrali Ecclesiæ apud Sacristiam congregate, processionaliter Illusterrimæ Suæ Celsitudinis Deputati, una cum Cathedrali Capitulo in Capella Divi Pauli expectantes, deduceret. Post accessum Dominorum Deputatorum ad Ecclesiam, immediate ad Chororum processum est, quo in loco singuli, ut habent, conederunt. Pro Dominis Deputatis tamen, à parte Epistole in Presbyterio versus thronum Illusterrimi, infratamen Abbatem Iburgensem, in Pontificalibus sedentem, genuflexorum cum tapete preparatum fuit. Idem Dominus Abbas, in Ecclesia ante adventum Cleri paratus, expectans, mox, omnibus in locis suis subsistentibus,

Sacrum Pontificale de Spiritu sancto inchoavit. Sub Sacro, Communio totius Cleri, pœcumib[us] bono exemplo Dominis Deputatis & Cathedralis Ecclesiæ Canonics, habita fuit. Post sumptam Communionem ab Abbat[us], Diaconus Sacri cantavit alta voce: Confiteor. & tunc accesserunt singuli cum debita devotione, & stolis rubris, à Sacerdotibus assumptis.

Finito Sacro, Dominus Abbas, depositis paramentis Missalibus, assumpit pluviale rubri coloris. Quod idem fecerunt tres Domini Deputati. Vt primum Dominus Abbas cum reliquis Deputatis induitus fuit, accessit ad altare majus. Diaconus Sacri, versus Clerum, cantavit: Orate. Mox genuflexerunt omnes, modico spatio orantes. Tum adhuc genuflexus D. Abbas, inchoavit Antiphonam: Exaudi Domine, Choro eandem prosequente. Finiti Antiphona, Succentor Chori incepit Psalmum: Salvum me fac, Deus, ex nocturno ferme quintæ. Sub hoc Psalmo Dominus Abbas consedit ante altare majus usque ad finem Psalmi, facie ad Clerum versa; & Domini Deputati suis locis. Finito Psalmo, Dominus Abbas surrexit, veritatem ad altare, cantavit Orationem: Adsumus, ut in Pontificale, quâ finiâ, procubuit acceptâ mitrâ supra faldas.

faldistorium, reliquo Clero cum eo genuflectente; & duo Cantores ante Presbyterium cantarunt Litanias omnium Sanctorum; in quibus dum dicetur, Ut omnibus fidelibus Sc. surrexit Dominus Abbas, & pedum Abbatiale cum appenso velo finistrâ tenens, & stans versus Clerum, cantavit: Ut hanc presentem Sc. ut in Pontificali. Decanatus Litanis, Dominus Abbas, depositâ mirrâ, stans cantavit: Oremus. Ministri: Flectamus genua. Levate. ac deinde Orationem: Da quæsumus, ut in Pontificali. Post hæc imposuit incensum in thuribulum, Diaconus Sacri petuit ab eo benedictionem, legit more solito, stanibus omnibus, Euangelium: Convocatis Iesu. Leto Euangeliu, Dominus Abbas, ex osculatus librum Euangeliorum, incensatus modo consueto, & genibus flexis, genuflectente etiam toto Clero, incepit Hymnum: Veni Creator. Post primum versum surrexerunt omnes, & mota Procescio Cleri ad locum Synodalem coniunctum. Interea à Clero & organo totus hymnus alternatim decantatus fuit. In loco Synodali omnes, ut in prioribus Synodis, se suis locis collocarunt; Domini verò Deputati a latere dextro, & Dominus Abbas cum Ministris Sacri à latere sinistro altaris, considerunt; Promotor Synodi, Secretarius item & Altuarius cum Notario, in locis solitis permanerunt. Omnibus, suis locis, confidentibus, Dominus Officialis Synodum allocutus est, his verbis:

Admodum Reverendi, Prænobiles, Venerabiles, Religiosi & Honorabiles viri ac Domini &c. Reverendissimus & Illustrissimus Princeps ac Dominus, Dominus F R A N C I S C U S G V I L I E L M V S, Episcopus Osnabrugensis &c. Dominus noster clementissimus, cum, instante hæc Synodo vernali, ad præsentia totius S. Romani Imperii Comitia, à Sacra suâ Cæsareâ Majestate specialiter evocatus, ad hanc Synodum accedere, eique personaliter præsidere non possit; ne quid tamen eorum, quæ ad reformatos mores, ac disciplinam Ecclesiasticam restaurandam ac confirmandam, facere possunt, omittantur & suspendantur, Admodum Reverendis, Prænobilibus viris ac Dominis, D. Præposito & D. Decano Cathedralis hujus Ecclesiæ, una mecum in mandatis dedit, ut, Celsitudinis Suæ nomine, huic Synodo celebranda præsideamus, eaque omnia faciamus & præstemos, fierique ac præstari curemus, quæ de jure & veteri ac laudabili consuetudine ac more fieri debent ac confuerunt; prout in hanc rem Sua Celsitudo Mædatum clementissime est impertita.

Tradita deinde Secretario Synodi, præfata Originalis Commissione; quam is clara voce ex pulpite prælegit in hæc verba:

F R A N C I S C U S G V I L I E L M V S, Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Osnabrugensis, &c. Venerabilibus, Nobilibus atque Honorabili & Doctissimo, devotis, sincèrè Nobis in Christo dilectis & fideli, Ioan-

ni à Leeradt, Ioanni Wilhelmo à Winckelhausen, & Ioanni Bischopinck, Cathedralis Nostræ Ecclesiæ Osnabrugensis respective Præposito, Decano, & Officiali Curiae Nostræ Episcopalis ibidem, salutem in Domino. Venerabiles, Nobiles, Honorabilis & Doctissime, devoti, sincèrè Nobis in Christo dilecti, & fideli. Cum per Nostræ gravissimæ sollicitudinis publicas occupationes, & præsentia Sacri Romani Imperii Comitia, quibus nunc intendere debemus, impediatur, quod minus futuræ Synodo, qua in Civitate Nostrâ Osnabrugensi, feria tertia post Dominicam Oculi, incidentem in decimam octavam diem mensis Martii, ex laudabili Majorum Nostrorum consuetudine, ac Prædecessorum Episcoporum Decretis, celebrabitur, pro hac vice personaliter interesse & præsidere non possumus: Nos vobis, de quorum prudentiâ, zelo, pietate, ac legalitate, singularem gerimus fiduciam; præsentum tenore, conjunctim & divisi, in Domino committimus, ut dictæ Synodo, Nostro nomine præsideatis, & Synodales has Constitutiones, quas vobis transmittimus, aliave, promulgari curetis, ac, ad earum observantiam, Clerum Nostræ Osnabrugensis Dioecesis debitè admoneatis; & quicquid Nos in dictâ Synodo personaliter agere possemus, Nostro nomine peragatis: insuper etiam illius Synodi Acta, & præsentium atque absentium nomina, ad Nos in scripto referatis. Hæc est seria voluntas Nostra, manu & sigillo Nostro roborata. Valete in Domino. Datum ex Residentia Nostra Episcopali Ratisbonæ, die quarta Februarii, anno M D C L I I I ; Episcopatum Nostrum, Osnabrugensis vigesimo octavo, Ratisbonensis quarto, Mindensis & Verdensis viigesimo quarto.

Letâ Commissione, Dominus Officialis porro Clerum sic allocutus est:

Dicti itaque Domini, mecum Deputati, per me interrogant omnes ac singulos Dominos Prælatos, & alios quoque, ad hanc Synodus legitimè vocatos, an, ad Dei omnipotentis laudem & gloriam, & ad Ecclesiæ Osnabrugensis incrementum, Synodus hæc Diecelana, legitimè indicta & congregata, eis aperienda videatur.

Omnibus annuentibus, Decretum interposuit; simulque in Promotorem, D. Bernardum Matthiæ à Campo, in Secretarium, D. Conradum Burrentum; in Altuarium, D. Christianum Broickman, electos denominavit; qui suis locis confederunt. Statimque D. Officialis ex Pontificali Synodum assatus est.

Reproductus deinde litteris Citationis ad Synodum, lectus est Catalogus Cleri, & absentium nomina diligenter annotata.

Poitequam Catalogus Cleri lectus fuit, Synodi Promotor, Dominus Bernardus Matthiæ à Cam-

à Campo, absentium contumaciam accusavit his verbis:

Admodum Reverendi, Prænobiles, & Clarissime, Domini: cum ex recensito Catalogo &c. ut habetur supra in Synodo Osnabrugensi maiore.

*Pag. 5.
col. 2.* Ad h.e.c D. Officialis, communicatione cum aliis Deputatis breviter habita, sic interlocutus est: Domini mecum Deputati per me decernunt &c. ut ibidem.

*Pag. 6.
col. 1.* Paena tamen absentium, Illusterrimæ Sue Celsitudinis declarationi reservata fuit.

Subsecuta tum concio Synoda's; quam de more habuit Dominus Conradus Burenus, Cathedralis Ecclesia Osnabrugensis Pastor. Quà finitâ, Secretarius Synodi ex manibus Deputatorum accepit Decreta Synodalia; rogavitque, num placeat h.e.c ipsa in præsente Synodo publicari.

Annuentibus Dominis Deputatis, primum Decreta Synodi generalia, & in omnibus Synodis prelegi solita, usque ad Decretum de professione fidei facienda inclusivè, prælegit; & deinde sequentia publicavit.

S E Q V V N T V R

D E C R E T A S Y N O D A L I A,

Ex mandato Reverendissimi & Illusterrimi Domini Episcopi Osnabrugensis &c. Domini FRANCISCI GVILIELMI, die XVIII mensis Martii anno M D C L I I I , Osnabragi, in Synodo vernali, publicanda.

D E C R E T U M . I.

FRANCISCVS GVILIELMVS, Dei & Apostolicæ Sedis gratia, Episcopus Osnabrugensis, &c. Posteaquam, magnis sumptibus, pro majori cultus divini augmentatione, & instructione Parochorum, opera quædam, videlicet Proprium Sanctorum Dioecesis Osnabrugensis, Agendam seu Rituale, præsertim pro Parochis, item Missas proprias Sanctorum Dioecesis Osnabrugensis, typis edi curavimus: hinc, in virtute sanctæ obedientiæ, mandamus omnibus & singulis, ut illos libros, non solum quantocius, tam pro se, quam pro Ecclesiis suis, sibi comparent, verum etiam sese iis in omnibus accommodent, regulaque & rubricas traditas, diligenter, semota omni novitate vel antiquitate, ad amissim obseruent, singulorum prædictorum librorum duplex exemplar habeant, unum in domo pastorali, & alterum in Ecclesia, ejusdem Ecclesiæ sumptibus emendum. Inscribatur etiam nomen Ecclesiæ frontispicio, ne aliae manus hujusmodi librum sibi vendicent.

D E C R E T U M . II.

CVm etiam Catechismum, Cantionesque in Ecclesiis observandas, pro uniformitate, ac aliorum non approbatorum librorum (qui, pro dolor, hoc perturbato belli tempore irrepererunt) eliminatione, typis edi fecerimus: proinde quisque Pastor aliquot exemplaria, pro necessitate sua Parochia & Scho-

larum, sumptibus Ecclesiarum similiter emet, tam per se quam per ludimagistros distribuenda.

D E C R E T U M . III.

VOlamus præterea, ut, intra mensē à finita Synodo, singuli Decani rurales à singulis sui Decanatus Ecclesiis ac personis informationem capiant; num, & quot, exemplaria, juxta hoc nostrum Decretum, sibi comparaverint.

D E C R E T U M . IV.

ANtiquas Agendas, quibus hacenus usi sunt, qualemque illæ sint, uti & Catechismos, librosque cantionales Germanicos, à pueris & ludimagistris accipiant, & dictis Decanis, cum designatione in scripto, transmittant. Decani vero dictas informaciones ac designations Officiali Nostro, juxta præfixum illud tempus, consignent, ut Nobis debitam relationem facere possit.

D E C R E T U M . V.

NE autem hac in re difficultas sit, constituiimus, ad hos libros vendendos & distribuendos, Theodorum Hulskorft, Vicarium Cathedralis Nostræ Ecclesiæ Osnabrugensis; à quo petenda erunt exemplaria; quorum compactionem ad debitum usum ipsi Pastores suis locis promovebunt.

D E C R E T U M . VI.

DECRETVM VI.

CVm etiam in visitatione Nostra , per totam Diœcœsi personarum à Nobis facta , compererimus , Synodorum Nostrorum , ab anno M D C X X V I I I ; usque ad annum M D C X X X I I I celebratarum , librum , in pacis locis repertum , aut periisse , aut sufficiencia exemplaria amplius subministranda decesse ; hinc novis & magnis sumptibus illum recudi , posterioresque Synodos diversas , præfertim de annis M D C L , M D C L I , M D C L I I , & M D C L I I I , adjungi fecimus . Et cum liber ille , brevi , prælo sit perficiendus ; hinc similiter omnibus & singulis mandamus , ut unum exemplar quantius , sumptibus Ecclesiæ , sibi comparent , aliud etiam domi pro se proprium habeant . & , qui in eo negligentes fuerint , debite punientur .

DECRETVM VII.

DEnique , cum etiam tempus Paschale appropinqueret , omnes & singulos , curam animarum quoquo modo habentes , in Domino adhortamur , ut officio suo , non solum quoad fæ , sed etiam quoad sibi commissos , diligenter satisfaciant , atque decretis & ordinatibus Nostris , antehac publicatis , obtemperent , & inhærent .

DECRETVM VIII.

A Dominica Lætare usque ad Pentecosten inclusivè , in omnibus Ecclesiis , post Conciones , singuli Pastores , & curam anima-

rum quoquo modo habentes , ex suggestu oreit quinques Pater & Ave clara voce , & totus populus similiter profequatur , pro felici successu Comitiorum S. R. Imperii , quæ modo Ratisbonæ habentur . Quem in finem etiam Superiores Ordinum Religioforum , particulares devotiones in suis Monasteriis inter se sibique subditos instituant , & ad ædificationem populi pro bono communi profequantur .

DECRETVM IX.

VOlamus etiam , ut in quaue Synodo nostra mina eorum , qui de Clero ab ultimæ Synodi celebratione in Domino obierunt , prælegantur , & singuli Sacerdotes intra octiduum à Synodo , pro refrigerio animarum eorum defunctorum , Sacrificium Missæ Deo offerant .

DECRETVM X.

VUltimo , omnibus & singulis , in virtute sanctæ obedientiæ , mandamus , ut præcedentia Decreta Synodalia , quæ hic repetimus , & repetita declaramus , per omnia observent , & respective ad effectum deducant . Quod si in hoc five Prælatus five subditus negligens fuerit , in proxima Synodo debitibus correctionibus subjacebit .

Atque hæc sunt , quæ pro hac vice publicanda ac proponenda censuimus . In quorum omnium fidem hasce manu Nostra subscrivimus , & sigillo Nostro , ad id consueto , communiri fecimus .

L. S.

FRANCISCVS GUILIELMVS.

His peractis , palam præelectæ fuerunt literæ Pastorales sequentes , quas Illustrissima Sua Celsitudo Ratisbonæ ad Clerum suum Osnabrugensem transmiserat .

LITERÆ PASTORALES
AD CLERVM OSNABRUGENSEM.

FRANCISCVS GUILIELMVS , Dei & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Osnabrugensis , &c. alligatus in Domino , omnibus vobis de Clero Nostro in Christo Iesu ad Synodum vocatis , unitatem spiritus in vinculo pacis .

*2 Cor.
II. v.28.*

Scitis , Fratres charissimi , instantiam meam quotidiam , sollicitudinem Ecclesiarum mearum . Meminitis , quid , in præterita Synodo autumnali , vobis similiter in Domino congregatis populoque meo præsens , sub meum ex Diœcœsi discessum , pro officio meo

Episcopali , proposuerim , vosque , ut dignè ambularetis vocazione vestra , qua vocati elitis , ad salutem vestram , ad salutem animarum , Iesu Christi sanguine redemptarum , curæque vestræ commissarum , monterim , coramque Crucifixo Domino nostro Iesu Christo obtestatus fuerim . Volo itaque vos scire ulterius , qualem sollicitudinem habeam pro vobis , & iis , quæ in Diœcœsi sunt de concredito mihi ovili , & quicunque non vident faciem meam nunc in carne , ut confolentur corda ipsorum , cum me sibi spiritu alligatum audiunt .

Eadem

Bern. ep.
302.
Item pp.
384.

Eadem vobis scribere, mihi quidem non
pigrum, vobis autem necessarium. optans ac
orans dirigi actus & studia vestra ad omne
quod decet & expedit; optarem equidem cor-
porali praefentia facro vestro cœtu interesse;
unde, sicut vobiscum in unitate spiritus am-
bulare debeo, ita de vivificatione sancti Spir-
itus, & progressionibus animæ, præsentialiter
& communiter tractarem. quia vero, ex divi-
na dispositionis arbitrio, in medio Romani
Imperii negotiorum pelago constitutus, cir-
cumfæcentium procellarum inundationibus
contundor, ut, non quod volo, sed quod no-
lo, faciam; per spiritum & litteras meas vobis
præsentiam exhibeo, &c., quatenus permit-
tur, paterna charitate, pro desiderio vestro,
me Conventui præsento; cupiens quidem, &
quanto possum affectu rogans, ut & vos con-
junctim vobiscum vestrum spiritum habeatis,
& in cōmuni super me omnipotens Dei gra-
tiam propensius imploretis. In montis siquidem
vertice constitutus, ubi undiq; ventorum
flatibus propulsor, spero ex Dei dono aliquatenus
in tanto turbine posse subsistere, si oratione
veltrarum interventum apud Deum
meruerim obtinere. Ut autem apud eum orationibus
veltris promptam semper habeam fi-
duciam, &c., quod meis meritis non valo, ve-
stris intercessionibus assequar; opto, charita-
tem vestram, de his qua ad Deum & proximum
lunt, nec non de custodia disciplina ecclesiastica, ita fore semper follicitam, ut
nulla nubes in operibus vestris appareat, quæ
orationes vestras, quo minus ad Deum pene-
tent, valeat aliquando præpedire.

Cum itaque convenitis, filii dilectissimi, in
unum; de corrigo fe quisque in iis quæ
sunt ad salutem animarum & profectum disci-
plina statuenda, & tunc, quæ in aliis emen-
danda compereritis, eorum communem cu-
ram habete; vos præsertim, qui jam locum
Nostrum, prout vobis mandavimus, tenetis,
vel officia veltra id exigere nostis. Recorde-
mini quælo, (ut ad rem, propter quam con-
venitis, redeam,) quam sollicite agrum Do-
minicum (qui verè vos præ aliis, utpote in
fortem Domini vocati, estis,) curare ac cole-
re studierim, semen etiam optimum in illam
terram jam quintò, post restitutionem Episco-
patus Nostri, injecerim; unde ergo adhuc ha-
bet is tanta in quibusdam ex vobis zizania?
unde focus hæc & illa, licet stercoraverim,
non habet fructum? Scitis, charissimi, omnem
curam, laborem studiumque, utiliter & agris
& hortis impendi, si calor cœlestis deficit.
Optavi toties ignem illum divini zeli & pro-
ximi; modum, illum acquirendi, conservandi,
augendique, docui; imo & in multis vestrum
me accendi confusus fui, dum vites meæ vi-
neæ, per paternas admonitiones & increpa-
tiones, debite putatas, pullulare crederem,

cum cordis lachrymas in oculis vestris vide-
rem. Sed, heu, cur, & quó, calor ille recessit?
cur ignis ille cineribus iterum suppressus?
Hinc, hinc, zizania scandalorum in agro no-
stro durant; hinc focus non habet fructum, nec
vinea dat odorem suum; hinc vinea electa Do-
mini Sabaoth facit adhuc labrūcas. Causas
hujus defectus, & extinti ignis cœlestis, quic-
que apud se ruminet; agat quod diximus ha-
beri in libris Machabæorum, quando Nehemias
Sacerdos iusit requiri ignem, quem, de
altari sumptum, Sacerdotes olim absconde-
rant. Cogitate, charissimi, altare, in quo ar-
debat vel saltē gliscebat ignis ille tempore
præteriorum Synodorum. nonne cor ve-
strum ardens erat bonis propositis de futuro,
& contritione magna de præterito? Ignis hic
quomodo evanuit? Vtinam contutati ipsum
essetis in aliquo faltem angulo cordis vestri,
ita ut jam aquam lacrymarum haurire, & sa-
crificium Dei, spiritu contribulato, aspergere
possetis. Certe sol cœlestis gratiae, quæ hac-
enus crassam nubem pravæ voluntatis vestræ
penetrare non potuit, refulgeret, & accende-
retur ignis magnus, ita ut omnes mirarentur
bona exempla, bonam vitam vestram, quibus
etiam alios lapides, id est, obduratos in malo,
aspergere, illosque accendere, & ad meliorem
vitam reducere possetis. Pro consummatione
hujus sacrificii, uti Sacerdotes, præente Nehemias,
orabant; sic & Nos, cum toto cœtu, in
Spiritu sancto congregato, oremus, Fratres
charissimi, integro cordis affectu ad Deum, ut
sacrificia hæc accipiat, custodiat partem (id
est, hereditatem) suam, eamque sanctificet.
Ita clamo ego quotidie ad Deum meum; ita
clamo nunc in confessu vestro; ita vos, Sacer-
dotes Dei, contrito corde elamate; ac profe-
quimini: Exaudi, exaudi; fiat, fiat.

Ita, quælo, ita facite, dilectissimi vos, ut
sanctificemini, ut perfecti sitis in omni opere
vestro bono. Discipulus quippe proficiens,
gloria est magistri, ait Bernardus; quipquis in
schola Christi non profit, ejus indignus est Bern. ep.
magisterio. Nemo proinde dicat, Satis est, sic 341.
volo manere, sufficit mihi esse sicut heri & nu-
dius tertius. In via residet, qui ejusmodi est.
Sic ergo currite, ut comprehendatis totam 2 Cor.
disciplinam, ne quando irascatur Dominus. 10. v. I.
Ipse Ego Episcopus obsecro vos, per mansue-
tudinem & modestiam Christi, qui absens
confido in vobis: tantum digne Euangelio
Christi conversamini; ut, cum venero & vide-
ro vos, five absens audiam de vobis, quia statim
in uno spirito fidei Euangelii unanimes, col-
laborantes verbo & exemplo; & in nullo ter-
reamini ab adversariis, quæ illis causa est per-
ditionis, vobis autem salutis, & hoc à Deo.
Itaque obedite, charissimi, non in præfentia
mei tantum, sed multo magis nunc in absentia
mea; cum metu & tremore vestram salutem
opera-

2. Ma-
chab. I.

Philip. 1.
v. 27.

336 SYNODVS OSNABR. IX EPISCOPI FRANC. GVIL.

operamini in Christo Iesu Domino nostro ; in quo vos spiritu & corpore valere desidero, paternam & Episcopalem vobis benedictionem impertiendo. Datum Ratisbonæ in Residenzia Nostra Episcopali , in Vigilia Angelici Doctoris Ecclesiæ, sancti Thomæ de Aquino;

anno, ab incarnati Verbi mysterio , millesimo sexcentesimo quinquagesimo tertio ; Episcopatum vero nostrorum , Osnabrugensis vigesimo octavo , Ratisbonensis quarto , Mindensis ac Verdensis vigesimo quarto.

Locus sigilli.

FRANCISCVS GUILIELMVS.

Hicce Dominus Officialis, ex speciali Illustrissimæ Suæ Celsitudinis mandato, feriam reprehensionem contra refractarios nonnullos, cum variis comminationibus, subiunxit ; ac deinde Dominus Promotor Actuarium Synodi , super conscriptione Altorum Synodalium, requisivit, finemque Synodo imponi petuit; prout Domini Deputati per Decretum imposuerunt, inceptoque per Succentorem Psalmi, Benedicite &c. ad Chorum majoris Ecclesiæ recesserunt. ubi deinde Dominus Abbas ce-

tera ex Pontificali Romano peregit ; ac Synodus, cum benedictione, & indictione proxime, ad septimam Octobris hoc eodem loco habendæ, dimissa fuit.

Die subsequenti, omnes Decani & Pastores coram Dominis de Confistorio comparuerunt, ac ibidem gravamina sua explicuerunt ; quibus prorenata satis factum fuit. Itaque singuli ad propria redierunt in nomine Domini. Amen.

F I N I S.



I N D E X